

*bensem Abbatiam appellat, quæ eadem est cum hac nostra Mimileba, cujus Abbatem Reinholdum queritur. Ditmarus ademtâ Cœnobio libertate depositû.*

Cap. X. Episcopus Meginwerc. ] Quo modo *Meinvercus Heimeradum*, quòd veste parum lautâ amictus esset, contumeliosis primò compellationibus castigatum verberibus etiam cædi iusserit, habes in Actis B. *Meinverci Num XVIII*, pag. 22. Quando verò *Henricus Imp.* cum *Cunigunda* Augusta Paderbornæ fuerit, docebunt te *Monumenta Paderbornensi* pag. 180.

Num. XI. Abbas Hersfeld. Arnoldus. ] Chronologus Hildesheimensis rem sic narrat ad annum 1031: *Arnolfus Pater Monasterij Herveldensis precipuus in divinis & humanis rebus, quorundam fratrum eo loci cujusdam criminis objectione accusatus, miserabiliter proprio est honore privatus.* Et ad annum 1032: *Arnolfus Abbas Herocampia V Kalendas Januarij obiit, & ad Gellinga sepultus, ubi tunc gratia manendi habitavit. Sed inde post tres dies totidemque noctes deductus, & de terra effossus, ex praecepto Rudolphi sui successoris, Herveldia in Ecclesiâ S. Michaelis est tumultus.* Porrò monasteriolum Gellingen situm fuit in Thuringia, ut *Lamb. Schafnab. ad an. 1032*: qui etiam *Monasterium Herveldense anno 1037 incensum* scribit; in quo tamen anno sequenti sepultus memoratur *Hagano Diaconus Regis Capellanus, XX Kal. Mart. mortuus*, teste *chron. Hildesheim. De Abbatia Herveldensi legendus Bucclinus. & Lambert. Schafn.*

Num.